

Gregorii episcopi Turonensis Historiarum Libri decem. Edd. W. Giesebrecht-B. Krusch-R. Buchner. Berlin 1955, s. 352-354.

V.39

Igitur post mortem filiorum Chilpericus rex mense Octobrio in Cothiam silvam plenus luctu cum coniuge resdebat. Tunc Chlodovecum, filium suum, Brinnacum, faciente regina, transmisit, ut scilicet et ipse ab hoc interitu deperiret. Gravoter ibi his diebus morbus ille, qui fratres interfecerat, seviebat; sed nihil ibidem incommodi pertulit. Ipsi enim rex Calam Parisiaca civitatis villam advenit. Post paucus vero dies Chlodovechum ad se venire praecipit; cui qualis interitus fuerit, dicere non pigebit. Igitur cum in supradicta villam apud patrem habitaret, coepit inmaturae iactare vel dicere: „Ecce, mortuos fratres meus, ad me restitit omne regnum; mihi universae Galliae subicientur, imperiumque universum mihi fata largita sunt! Ecce inimicis in manu positis inferam quaecumque placuerit!“ Sed et de noverca sua Fredegunde regina non condecibilia detractabat. Quae illa audiens, pavore nimio terebatur. Post dies vero aliquot adveniens quidam ait reginae: „Ut urbata de filiis sedeas, dolum id Chlodovechi est operatum. Nam ipsi concupiscens unius ancillarum tuarum filia, maleficiis tuos per matrem eius filios interfecit, ideoque moneo, ne speres de te melius, cum tibi spes per quam regnare debueras sit ablata.“ Tunc regina timore perterrita, furore succensa, nova orbitate conpuncta, adpraehensam puellam, in qua oculus iniecerat Chlodovechus, graviter verbaratam, incidi comam capitis eius iussit ac scisso sode inpostam defigi ante metatum praecipit Chlodovechi. Matrem quoque puellae relegatam et turmentis diu cruciatam, elicit ab ea professione, quae hos sermones veros esse firmaret. Regi exim haec et alia huiuscemodi insinuans, vindictam de Chlodovechum poposcit. Tunc rex in venatione directus, eum praecepit arcessire secretius. Quo adveniente, ex iussu regis adpraehensus in manicis a Desiderio atque Bobone ducibus, nundatur armis et vestibus, ac vili indumento contactus, reginae vinctus adducitur. Ad illa in custodia eum retinere praecepit, elecere ab eo cupiens, si haec itaut audierat se haberent, vel cuius consilium usus fuerit, aut cuius haec instinctu fecisset, vel cum quibus maximae amicitias conlegasset. At illa reliqua denegans, amicitias multorum detexit. Denique post triduum regina vinctum iussit eum transire Matronam fluvium et in villa cui Nocito nomen est custodire. In qua custodia cultro percussus interiit ipsoque in loco sepultus est. Interea advenerunt nuntii ad regem, qui dicerent, quod ipse se ictu proprio perfodisset, et adhuc ipsum cultrum, de quo se perculit, in loco stare vulneris adfirmabant. Quibu verbis rex Chilpericus inlusus, nec flevit, quem ipse, ut ita dicam, morte tradiderat instigante regina. Servientes quoque illius per diversa dispersi sunt. Mater autem eius crudele morte negata; soror ipsius in monasterio delusa a pueris reginae transmittitur, in quo nunc, veste mutata, consistit; opesque eorum omnes reginae dilatae sunt. Mulier, quae super Chlodovechum locuta fuerat, diiudicatur incendio concremare. Quae cum duceretur, reclamare coepit misera, se mendacia protulisse; sed nihil proficientibus verbis, legatam ad stipitem, vivens exurit flammis. Thesaurarius Chlodovechi a Chuppani stabuli comite de Biturigo retractus, vinctus reginae transmissus est, diversis cruciatibus exponendus; sed a suppliciis et a vinculis absolvi liberumque, nobis obtinentibus ad regi, abire permisit.

Překlad:

Řehoř z Toursu O boji králů a údělu spravedlivých. Kronika Franků. Dějiny v deseti knihách Přeložil J. Kincl. Odeon Praha 1988. Druhé vydání Argo Praha 2005.